

sente pagina vobis domne Abbatisse facit manifestum, quod est paratus facere fieri emtionem dictarum terrarum vobiscum, quando vobis placuerit, secundum quod fuit in concordia cum nuncio vestro Gulielmo. Quapropter vobis denunciamus, quatenus si vobis placet facere dictam vendicionem, Syndicum vestrum cum confirmatione domini O. Aquensis Episcopi in proximo ad nos mittere procuretis scientes pro certo, quod quando venerit Syndicus vester, habebimus absolucionem dictarum terrarum ab R. potestate Alexand., ita, quod Syndicus vester poterit, quandoque venerit, omnia, que continebantur in litteris vestris penitus adimplere.

Actum in villa Nicie. Ego Manfredus N. S. P. &c.

*Litteræ Abbatis Monasterii s. Julie, & Præpositi Bubbii Episcopo Papiensi, ut denunciaret Comitem de Lomello esse excommunicatum, eo quod de Monasterio s. Mich. egerit monialem institutam ab Abbatisa Aquen. Ex Tabul. Mon.*

59

MCCXXXVII.

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo indiēt. X. die martis XVII. martii in lobia monasterii sancte Julie. Reverendo in Christo Patri, & Domino R. Episcopo Papiensi Petrus Abbas Monasterii s. Julie, & Albertus Prepositus Bublensis iudices a Summo Pontifice delegati in hanc partem salutem, & perpetuum in omnibus famulatum. Cum nos miserimus, secundum quod jus postulabat auctoritate Domini Pape Abbatisam Aquensem in possessionem Ecclesie s. Michaelis de Zebede propter contumaciam adverse partis rebelles, & contradictores excommunicantes, & Nobilis Henricus Comes de Lomello, secundum quod audivimus, quamdam Monialem ibi institutam a predicta Abbatisa de dicta Ecclesia s. Michaelis egerit, ipsam contra mandatum Apostolicum, imo & contra nobilitatem suam turpiter, & inhoneste tractando, vobis auctoritate Domini Pape, qua fungimur in hac parte precipiendo districte mandamus, quatenus dictum Comitem denunciatis excommunicatum, & arcus evitari. Interfuerunt testes &c.

Ego Ubertus Notarius pal. &c.

*Excommunicatio Comitis Lomelli facta ab Episcopo Papiensi. Ex Tabul. Mon.*

60

MCCXXXVII.

Anno a Nativitate Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo indiētione decima die sabbati undecimo mensis aprilis in Papia in palatio Episcopali D. Robaldus Dei gratia Papiensis Episcopus auctoritate, & mandato dominorum P. Abbatis monasterii s. Julie, & Alberti prepositi Bubbii a Summo Pontifice delegatorum super questione, quam Abbatisa monasterii s. Marie Aquensis, ordinis s. Benedicti contra monasterium s. Michaelis de Zebede ejusdem ordinis movebat, ut in re-

scripto . . . , plenius continetur, excommunicavit dominum Comitem Henricum de Lomello, quia D. Comes expulit Abbatisam Aquensem, & ejus monialem Daminam nomine de possessione Ecclesie S. M. de Zebede. Interfuerunt Guido Crofus Canonicus Sancte Marie de Monte &c.

Ego Gulielmus Capella &c.

*Deputatio procuratorum facta a Monasterio S. M. Aquens., & a domo Humiliatorum de Frascarolio pro æstimatione, & venditione bonorum s. Mich. de Zebede. Ex Tabul. ejusd. Monast.*

MCCXL.

61

Anno Domini millesimo ducentesimo quadagesimo indiētione decimatertia die dominica III exeunte julii apud Ecclesiam s. Marie de Campis de Aquis presentia &c. D. Lilia Abbatisa . . . cum consensu, & voluntate suarum sororum videlicet D. Sibilie, D. Matelde, D. Purpure, D. Fornarie, D. Otte . . . ordinant Ubertum Galeam civem Aquensem suum certum nuncium . . . super . . . controversiis, quas habet, vel potest habere cum sorore Elena, & sororibus Humilitatis amministratrix, vel amministratrices soror . . . religionis de Frascarolio . . . ad recipiendum pecuniam venditionis s. Michaelis de Zebede . . . & ad recipiendum securitatem de predictis attendendis mulieribus, & domui religionis de Frascarolio, ut comparerent, & venirent coram dominis P. Abbate s. Julie, & A. preposito Bublens. a S. Pontifice in hac parte delegati, & ad faciendum concordium cum eis de negotio, & pacto, si quod fuerit prediorum s. Michaelis, & possessionum ejus, & omnia alia facienda.

Ego Nicolaus Notarius Pal. &c. Anno Nativitatis Domini MCCXL. indiētione III. XIII. die veneris II. mensis novembris in Frascarolio. D. Elena de Peceto ministra domus Humiliatorum, & soror Umelia, & D. Salvatica, & Sibilia, & Elena, & Pipia, & Agnexia, & Bruna, & Bona, & Aicarda, & Jordana, & Alluminata, & Agnexina, & Margarita q: sorores suprascripte domus constituerunt . . . Johannem Clericum de S. Ambroxio de Ponte Vetero . . . procuratorem super omnem causam, quam ipse habent . . . cum monachis de Aquis &c.

Ego Guido Cerrus S. P. Notarius &c.

*Subdelegatio Abbatis s. Julie Præposito Bubbii in quadam causa inter Abbatisam Aquens., & administratricem Humiliatarum Frascarolii. Ex Tabul. Mon.*

MCCXL.

62

Anno Domini millesimo ducentesimo quadagesimo indiētione decimatertia die dominico decimanona augusti in curia monasterii s. Julie D. Petrus Abbas dicti monasterii a Summo Pontifice iudex delegatus in causa, que vertitur, vel verti debet coram eo, & coram D. Alberto preposito